

**E P H E M E R I D E S**  
**V I N D O B O N E N S E S .**

---

Die XXI. Mensis Maii A. R. S. MDCCLXXVI.

E-375631



REPRINTED FROM THE  
VINDICATOR

---

BY JOHN W. WALKER, M.D., F.R.S.

DS-2022-7766



**S**i eorum, quae ante nostram gesta sunt memoriam, cognitio tantae vulgo utilitatis atque praestantiae esse censetur, ut dies noctesque non pauci iis, quibus continentur, voluminibus terendis consumant, rerum, quae nostris contingunt temporibus, notitiam non modo aequae fructuosam, parique laude dignam esse, sed tanto etiam illi antecedere fatendum est, quanto sua quam aliena nosse maius est & praecellentius. Atque hanc potissimum causam subesse opinamur, cur apud omnes prope cultas gentes atque nationes genus quoddam perpetuae historiae, seu eiusmodi libelli inducti sint, quibus de iis, quae toto terrarum orbe geruntur, quam celerrime certiores fieremus. Hac ipsa in Metropoli rerum gestarum Ephemerides & teutonica & gallica lingua eduntur, cur non & latina? quod nemini huc usque in mentem venisse pridem mirabamur, cum animo reputarem, hanc urbem sedem esse Principum, quorum Imperio tot amplissima, vastissimaque Regna subiecta sunt, quae praeter nativum latino ut plurimum sermone utuntur. Per totam certe, quam late patet, Hungariam, per Croatiam, Sclavoniam, Dalmatiam, Transilvaniam, atque etiam Poloniam, cuius florentissimas quasdam Provincias Austriaco nuper accedere Imperio vidimus, quasi adoptatum civitateque donatum esse quis ignorat? ita enim hisce in Regnis summi infimique ordinis homines latino ore loquuntur, ut lingua, quae una cum Romano occidit Imperio, ibi adhuc vivere Latiumque sedibus suis exturbatum in eas oras demigrasse videatur. Cui operi igitur propter ingentia, quae inde redundant, emolumenta pridem manus admotas oportuit, id nos nunc suscipere atque adgredi decrevimus, superisque adiuvantibus etiam nos perfecturos speramus.

Commentarios itaque de rebus nostri temporis euulgaturi sumus, qui nomen Ephemeridum Vindobonensium prae se ferent. In his ea, quae ubique terrarum eveniunt, summa cum fide enarrabimus, ita tamen, ut, quae nobis memoratu non admodum digna, nullaque cum utilitate coniuncta videbuntur, iis nullum unquam locum nostris in paginis daturi simus. Neque propterea verendum est, ne narrandorum copia nobis non suppetat; res enim etiam literarias, libros editos, nova in quocunque artium ac scientiarum genere inventa, oeconomica praecipue, ex quibus maximi plerumque fructus percipi solent, tum ea quoque, quae ad acuenda ingenia, animosque ad humanitatem informandos siue libera siue adstricta numeris oratione scribuntur, recensere nobis animus est.

Sed quoniam Ephemerides nostras iis vel maxime, quos commemoravimus, populis ex usu esse volumus, id in primis curae nobis erit, ut, quaecunque apud illos siue in sacra, siue in profana aguntur republica, in medium adferamus. Si quae nova igitur quocunque in genere Statuta aut Edicta, suprema Auctoritate Regia, in lucem prodierint; si quid insigne ad memoriam a viris illustribus gestum; si qui ex illis ad altiores dignitatum gradus euecti; si quid homines docti ac eruditi elucubrati fuerint, id omne accuratissime no-



inter nos, qui eorum praecipue Regnorum, quae commemorauimus, historiam prae oculis habituri sumus, & reliquos latinarum Ephemeridum scriptores discrimen futurum sit.

Stilum quod attinet, operam dabimus, vt is tersus quidem purusque, sed tamen non ita anxius sit, vt ea vocabula, quae consecutis auream illam latinitatem temporibus

### PROPTER EGESTATEM LINGVAE ET RERUM NOUITATEM

vt ait Lucretius, inuenta sunt, quorumque vis absque obscuritatis ambiguitatisque periculo alia ratione declarari non potest, vsurpare reformidet. Intelligi enim, non putido verborum adparatu plausus imperitorum captare cupimus. Nomina propria diuersarum linguarum, nisi quae id facile patiuntur, latina non red-demus, quod huiusmodi inflexiones saepe violentas permultis nostro hoc tem-pore ridiculo esse animaduertimus. Viros auctoritate conspicuos, de qui-bus mentio fiet, non infra dignitatem nominabimus, longis autem honorum nominibus cum breuitatis studio, tum vt antiquos Romanos quemadmodum lingua, ita hac quoque in parte imitemur, supersedebimus.

Et si vero Hungariae, reliquarumque, quae ad eam referuntur, regionum populis adprime scribimus, tamen aliis quoque nationibus non iniucundam aut ingratham fore operam nostram existimamus. Vnamquamque gentem, Teutonicam praesertim, Romani illius Imperii heredem, latium loquendi genus ceteris omnibus, si vernaculum demas, anteferre deceret; quippe quo antiquitas tot immortalium Virorum opera nobis conscripta reliquit, & quod deinde docti omnes communi consensu tanquam sibi proprium adsciscere voluerunt. Iuuentuti quoque, quae literis operam nauat, paginae hae nostrae per quam vtiliter legendae proponentur, vt eadem opera & historiam huius aevi cognoscat, & res nostrorum temporum latine eloqui discat, quem vsum illi sola classicorum auctorum lectio praestare non posse videtur.

Quicumque vero Ephemerides Vindobonenses comparare voluerint, iis, si Viennae degant, quatuor, si Vienna absint, propter sumtus, quos cursus publicus (*Posta*) requirit, sex floreni pro semestri tempore in antecessum soluendi sunt: quam pecuniam Viennenses in taberna libraria Caesarei, Regii Typographi Kurzbeck pendent; alii ad *Supremam Caesaream ac Regiam cursum publici Directionem Viennensem* transmittent. Si numerus eorum, qui solutionem in antecessum praestituri sunt, ducentissimum saltem aequauerit, opus nostrum die 5. Iulii inchoabimus, & quauis hebdomade die Veneris integram philyram dabimus, cui tamen nonnunquam, si id res postulauerit, appendiculam adiungemus.

Certi itaque de vtilitate nostri instituti, eorum, qui de rebus aequum ferre iudicium solent, suffragationem nobis haud dubie pollicemur, confidimusque etiam fore, vt viri literati terrarum illarum, quibus praeter ceteris opus nostrum tam diuturnis iam votis expetitur dicamus, operam nostram adiuuent, deque rebus patriae suae, quas relata dignas, nobisque ignotas esse putauerint, per literas, quae, liberae a sumtibus cursus publici *Scriptoribus Ephemeridum Vindobonensium* inscribendae sunt, aliaue ratione nos edoceant.